

de Monte Regio, aut 13 Copernici: quamuis cùm illius Trianguli unus angulus notus sit, reliqui anguli etiam per 11 Copernici innotescere possunt. Porrò illum angulum A C M metitur segmentum Zodiaci D G part. 7, scrup. 54. Cùm igitur superius longitudinem stelle fixæ in A posuerimus esse in 28 grad. 59 scrup. Arietis, si illi segmentum D G iam inuentum adiecerimus, colligetur verus locus nouæ stelle in Zodiaco 6 grad. 54 scrup. dodecatemorii Tauri: quod inuestigandum initio proposuimus. Hinc patet nos ubique ipsum veritatis scopum ad amussim attingisse: nam differentia 5 scrup. in latitudine, & 3 in longitudine apud eruditos non habetur alicuius momenti.

De significationibus noui sideris.

Cap. 14.



QUID portendat rebus humanis hoc ostentum, quæ ueræ sint illius significationes (quod unum maximo studio aut curiositate potius perquirunt mortales) alios audire quàm ipse proferre malle. Nam non modò res est omnium difficillima futurorum prædictio: sed etiam quicquid ex aliqua perspicacitate ingenij, adiumento artis dici potest, id omne plus secum inuidiæ quàm utilitatis afferre consuevit. Nullus enim est qui audire velit sibi mala & calamitates designari, & à cælo portendi exitium: omnes ad bona apprehendenda sumus auidissimi, licet non omnes pari studio con-